



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Disputatio II. De principiis corporis naturalis in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

cognitiones, ac habitus physici sint eiusdem speciei inter se, sed quod conueniant in vna ratione particulari, in qua distinguuntur à cæteris scientiis omnibus. Videantur dicta in proœmio Logicæ & in disputatione de Scientia.

An Physi-
ca subal-
ternetur
Metaphy-
sicæ.

32. *Quæres*, an Physica subalternetur Metaphysicæ. Ad hanc quæstionem mere nominalē, & parui momenti respondendum breuiter eam subalternari Metaphysicæ, quantum ad hoc, quod corpus naturale, quod est obiectum eius adæquatum, sit species cõtenta sub ente, quod est obiectum adæquatum Metaphysicæ; & quantum ad hoc etiam, quod propositio Metaphysica possit assumi tanquam principium ad probandum aliquam conclusionem physicam; quo etiam modo nulla fere scientia est, quæ alteri non possit subalternari: quia in discursibus, qui fiunt à paritate rationis, aut à maiori ad minus, aut è contra, potest assumi ex quacumque scientia aliqua propositio tanquam præmissa ad probandum aliquam conclusionem cuiuscumque alterius scientiæ.

Sed non est ipsi subalternata sic, vt Metaphysicæ sit assignate ipsi obiectum (quidquid dicant alij) nec enim Metaphysica villo modo attingit obiectum Physicæ, cum vt suppono, sit extra obiectum eius adæquatum; quod si posset attingere obiectum Physicæ, sane illud obiectum esset considerationis metaphysicæ, & sic esset obiectum partiale Metaphysicæ, quod est absurdum ex suppositione communi quod Physica, & Metaphysica sint distinctæ scientiæ, & quod Physica non sit pars Metaphysicæ.


Nec etiam est ipsi subalternata sic, vt non habeat principia prima propria, ex quibus deducat suas conclusiones; nec sic, vt obiectum adæquatum eius sit illud ipsum obiectum Metaphysicæ cum additione cõditionis accidentalitatis tantum; vnde quandoquidem ad scientiam rigorosè subalternatā requirantur communiter hæ duæ vltimæ conditiones, Physica non est dicenda simpliciter, & rigorosè scientia subalternata Metaphysicæ.



DISPUTATIONES

In primum Librum Physicorum.

PHILOSOPHVS hoc libro, propositis ac refutatis aliorum Philosophorum de principiis corporum naturalium opinionibus, propriam statuit, tria docens esse rerum principia, *materiam, formam, ac priuationem*, de quorum singulis sigillatim tractabo, declarato tamen prius quid ipsum principium sit, & quomodo à principio distinguatur.



DISPUT. II.

De Principijs Corporis Naturalis in Communi.

VIA non potest cognosci, aut quænam, aut quot sint principia corporis naturalis, nisi quid sint ipsa principia, cognoscatur, hoc primò omnium hic declarandum videbatur.

QVÆSTIO I.

Quid sint principia corporis naturalis.

Multiplex
principij
acceptio.

1. **P**rinzipium multipliciter capi potest. Primò prout coincidit cum prima parte rei, siue reliquæ partes habeant dependentiam aliquā ab illa, siue non: & in hoc sensu primus palmus panni potest vocari principij eius, & primum folium, vel etiam prima linea aut littera alicuius libri potest vocari principium istius libri. Secundo potest capi pro eo quod præsupponitur alicui rei, & à

quo illa res habet aliquam dependentiam, & sic omnis causa rei, siue extrinseca, qualis est causa efficiens, & finalis, & etiam exemplaris; siue intrinseca quales sunt partes, ex quibus intrinsece componitur, & fit res; & omnia præsupposita, sine quibus non posset habere suum esse, possunt vocari principia rei, siue ipsamet sint principia, siue non. Tertiò denique potest capi principium strictius pro principiis, & causis primis rei, & hoc tam intrinsecis quam extrinsecis. Denique quarto, potest capi strictius adhuc pro principiis primis intrinsecis rei, & in hoc sensu hic agitur de principiis, quidquid dicat *Hurtadus* hic, tum quia in libro secundo agitur de principiis extrinsecis; tum quia alias falsum esset dari tantum tria principia rerum naturalium, quandoquidem præter materiam, & formam, & priuationem, detur etiam causa efficiens, quod est principium necessarium ad esse rerum naturalium. Nec refert quod Philosophus in proœmio huius libri proposuerit se acturum de principiis omnibus rerum naturalium: nam inde non sequitur quod in hoc ipso libro omnia illa principia definierit.

CONCLUSIO

2. Bene describuntur principia prima intrinseca rerum naturalium esse, quæ neque ex se inuicem, neque ex aliis, sed omnia ex ipsis fiunt. Hæc est communis Peripateticorum cum Philosopho hic text. 42.

Descri-
ptio prin-
cipiorum
primorū.

Probatur autem, quia omnibus, & solis huiusmodi principiis competit hæc descriptio: omnibus quidem competit, quia illud ex quo aliud fit, ex hoc ipso capite est principium intrinsecum eius, & si illud non fiat ex aliquo alio, non est principium intrinsece, nec aliud principium intrinsecum prius seipso: ergo est primum principium intrinsecum. Non conuenit etiam aliis principiis; quia si vllis, maxime principiis extrinsecis, v. g. causæ efficienti, aut finali, aut exemplari: sed non conuenit his, quia non dicitur proprie & in rigore res fieri ex causa efficiente, sed à causa efficiente, nec ex causa finali, sed propter causam finalem; nec ex causa exemplari, sed vel à causa exemplari, vel iuxta aut secundum similitudinem aut proportionem ad causam exemplarem: ergo hæc descriptio non conuenit aliis causis, quam intrinsecis.

Confirmatur ex solutione obiectionum, quæ certè occurrunt satis graues.

3. *Obijciens primo*: Tam materia prima, quam forma substantialis, quæ sunt principia corporis naturalis, & hic, vt talia, describi dicuntur, fiunt ex partibus suis integralibus, & etiam possunt dici fieri ex partibus suis metaphysicis, ergo falsum est, quod principia corporis naturalis non fiant ex aliis.

Respondetur distinguendo antecedens: fiunt ex aliis tanquam ex partibus essentialibus physicis, aut ex termino à quo essentialiter præsupposito, nego antecedens; fiunt ex aliis tanquam ex partibus integralibus aut metaphysicis, aut alio quomodocumque modo, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia in definitione intelligitur quod principia non fiant ex aliis tanquam ex partibus essentialibus physicis, aut termino à quo essentialiter prærequisito.

4. *Obijciens secundo*, forma, quæ est vnum ex principiis corporis naturalis, fit ex materia, quæ est alterum principium eius: ergo falsum est, quod principia non fiant ex se inuicem.

Et si dicatur, quod non fiat ex materia tanquam ex parte componente aut termino à quo: *Contra*, quia saltem fit ex priuatione tanquam ex termino à quo, quod sufficit ad impugnationem conclusionis.

Respondent plures Thomistæ formam non fieri proprie loquendo & vt quod; nec ex materia, nec ex priuatione, licet fiat improprie loquendo, & vt quo: in definitione autem principiorum intelligitur quod nō fiant ex aliis, nec ex alterutris proprie loquendo, & vt quod, sed quod alia quæ fiunt vt quod & proprie loquendo, fiant ex principiis. Et sane hæc responsio potest accipi ex doctrina Scoti in 1. dist. 3. q. 2. appendici difficult. 3. vbi docet ex mēte Philosophi non posse dici proprie loquendo, quod forma
fiat

fiat aut producat, aut generetur, aut habeat esse; sed hæc posse dici de composito aut substantiali, & per se; aut accidentali & per accidens; unde iudico hanc responsionem esse probabilem, nec sufficienter eam impugnari ab *Auerſa* aut *Maſtrio*.

Sed dicitur pro illis contra hanc explicationem: licet forma non fiat ut terminus totalis, tamen fit ut terminus partialis, & satis communiter dicitur formam fieri ex materia & ex priuatione: ergo falsum est quod forma non fiat.

Confirmatur ex *Maſtrio*, quia Philosophus non posuit omnia contraria esse principia prima, sed contraria prima, eo quod hæc, nec ex aliis, nec ex se inuicem fiant. Sed nec secunda etiam contraria sunt ex se aut aliis: ergo tam possent esse prima principia, quam prima contraria quantum ad rationem Philosophi, si vera esset prædicta explicatio.

Confirmatur secundò, quia Philosophus ideo dicit prima principia non fieri ex se inuicem, quia sunt contraria, sed quamvis non essent contraria, adhuc non fierent ex se inuicem, si nihil fieri dicitur, nisi compositum.

Respondetur negando consequentiam in sensu proprio & rigoroso, quia aliud est quod forma dicatur fieri ut terminus partialis, & aliud quod dicatur simpliciter fieri: & deinde licet dicatur communiter fieri ex materia & priuatione, tamen modus ille loquendi non est rigorosus, qualis est modus loquendi, quo utitur Philosophus in definitione principiorum.

Ad primam confirmationem, Respondetur negando maiorem, quia non ideo exclusit secunda contraria ex eo quod possent fieri ex aliis, sed ex eo quod alia non fierent ex ipsis.

Ad secundam confirmationem, Respondetur distinguendo maiorem: ideo præcisè nego: ideo partialiter seu partim, concedo. Itaque ex duobus capitibus sequitur prima principia non posse fieri ex se inuicem, primò quia non sunt composita, secundò quia sunt contraria.

6. Nihilominus quamvis prædicta responsio, & explicatio defendi possit, quia tamen est valde nominalis, ut potè dependens ab acceptione propria, & rigorosa ly fieri: Respondetur aliter ad obiectionem principalem distinguendo consequens: ergo falsum est quod non fiant ex se inuicem secundum talem rationem, secundum quam alia ex ipsis fiunt, nego consequentiam; secundum aliam rationem, concedo consequentiam. Itaque quando dicitur quod principia non fiant ex se inuicem, hoc sic intelligendum est, ut sensus sit, non quod non fiant ex se inuicem quomodocumque, sed quod nullum ex illis fiat ex vilo alio ex illis, aut ex aliis rebus secundum eam rationem, secundum quam illud quod ex principio fit, fit ex illo principio; quia ergo compositum naturale fit ex materia, tanquam ex parte intrinseca subiectiua, propterea materia non debet taliter fieri ex vilo alio; & quia idem compositum fit ex forma tanquam ex parte intrinseca actuante partem subiectiuam, propterea forma non debet fieri ex alio tali modo, quamvis alio modo fiat ex materia tanquam ex subiecto; & denique quia compositum illud fit ex priuatione tanquam ex termino à quo, propterea priuatio non debet fieri ex alio tanquam ex termino à quo.

Contra hanc expositionem, quæ satis est communis, obicit *Auerſa* hic, quod si principia non deberent esse ex alterutris hoc modo, id oriretur potius ex eo quod sunt prima, quam ex eo quod sunt contraria, quod est contra Philosophum.

Sed facile respondetur hoc negando, nam eo ipso quo principia sunt contraria, id est, habent contrarium modum causandi, sequitur quod non possint esse ex se inuicem. Deinde quamvis sequeretur ex primitate quod non possint esse ex se inuicem in eo genere, in quo sunt prima, hoc non esset contra Philosophum; nam adhuc ex eo quod essent contraria, sequeretur quod non possent esse ex se inuicem sic, ut in eodem instanti possent simul existere.

7. Nec sane vilo modo placet expositio ipsiusmet *Auerſæ*, qui dicit intelligendum ly ex in prima parte definitionis sic, ut sensus sit, quod principia non debeant

fieri ex aliis aut alterutris, tanquam ex parte intrinsece componente. Non placet, inquam, hæc expositio, tum quia sua propria impugnatione impetitur: nam etiam ex eo quod essent prima, quamvis nullam haberent contrarietatem, sequeretur quod non possent esse ex se inuicem hoc modo; tum & præcipue quia ly ex conformiter debet accipi, & in prima parte, & in secunda, quia alias committeretur maxima equiuocatio in descriptione principiorum: sed in secunda parte, ubi dicitur quod omnia ex principiis fiant, non significat quod omnia fiant ex ipsis tanquam ex partibus componentibus, quia id esset falsum, neque enim vllum compositum naturale fit ex priuatione, tanquam ex parte componente.

Confirmatur hoc, quia si particula ex potest vniformiter accipi semper in illa definitione, sic melius acciperetur: sed potest secundum nostram expositionem, & non potest secundum *Auerſæ*: ergo nostra ipsius est præferenda.

8. Obijciunt tertio: Angeli non fiunt ex illis principiis: ergo omnia non fiunt ex principiis. Et si dicas quod omnes omnino res non debent fieri ex illis principiis, nec id significari in illa definitione, sed solum omnes substantiæ materiales, & res corporeæ;

Adhuc instari potest, quod corpora cælestia sint entia corporea, & tamen non fiant ex illis. Nam si teneatur quod illa corpora sint simplicia, & nõ composita ex partibus essentialibus physicis, certum est quod non fiant ex materia, & forma. Et si etiam teneatur quod non sint sic simplicia, sed quod sint composita ex materia, & forma, adhuc non videtur quod fiat ex priuatione, quia priuatio non præcessit in materia formæ cælorum, in eodem enim ipso instanti temporis, in quo fuit producta materia cælorum, fuit in illis producta eorum forma; unde non fuit progressus à priuatione ad formam in illa materia, quod videtur requiri, ut priuatio diceretur esse principium, ex quo tanquam ex termino à quo fieret cælum.

9. Respondetur ex suppositione quod cælum esset corpus simplex, non esse necesse quod omnia etiam corpora naturalia fiant ex principiis intrinsecis, nec id intelligi in definitione, quæ potius intelligenda est cū distributione accommodata, sic scilicet, ut velit, quod omnia, quæ fiunt ex principiis, fiant ex principiis descriptis illa descriptione; aut quod omnia quæ fiunt per causas secundas, aut ex subiecto præsupposito, fiant ex principiis. Quod si cæli dicantur compositi, potest dici quod non fiant ex priuatione tanquam ex termino à quo præsupposito, quia non fiunt ex materia tempore præsupposita; potest etiam dici quod fiant ex priuatione, non quod præferat priuatio in materia posituæ ante formas cælorum, sed quod præfuerit quantum est ex natura materiæ, quia ex se non habet coniungi cum forma, & semper haberet priuationem eius, nisi causa efficiens induxisset formam in illam, siue eductam ex potentia eius, siue creatam, & ipsi infusam.

Ex his omnibus habetur, quod principia prima intrinseca rerum naturalium sint illa, ex quibus fiunt res naturales, vel tanquam ex parte componente, vel tanquam ex termino à quo; & quæ non fiunt ex aliis, neque ex se inuicem in eodem genere, in quo alia fiunt ex ipsis, ita scilicet ut nullum ex ipsis fiat ex vilo alio in eo genere, in quo res naturales fiunt ex ipso.

Aduertendum autem pro maiori complemento, quando dicitur quod omnia corpora naturalia, quæ fiunt ex præsupposito subiecto, fiant ex principiis huiusmodi, nõ esse sensum, quod ex principiis vllis particularibus omnia talia fiant, sed quod nullum tale fiat, quin fiat ex aliquibus principiis, nimirum hæc corpora ex his, & illa ex illis; ignis, verbi gratia, ex materia & forma ignis, aqua verò ex materia & forma aquæ, & sic de cæteris.

QVÆSTIO II.

Quot sunt principia rerum naturalium.

10. Philosophi fere omnes, quotquot Aristotelē præcesserunt, mirum in modum circa principia rerum naturalium errauerunt, si tamen eas sententiæ amplexi sunt,

Melior
responsio.

Impugnatur
expositio
Auerſæ.

Varie
Philoso-
phorum
sententiæ.

sunt, quas ipsis attribuit Aristoteles. *Parmenides & Melissus* vnicum rerum naturalium principium, & illud immobile statuerunt, cum hoc tamen discrimine, quod illud principium fuisse infinitum voluerit *Melissus*; *Parmenides* finitum. Sed hos indignos, quibus responderet Philosophus naturalis, sensit Philosophus, quod negarent principia, quæ tanquā per se euidencia & nota sunt in Philosophia naturalis; contra enim negantes principia alicuius scientiæ, non est, inquit Philosophus, disputandū à professoribus istius scientiæ. Quod vero destruxerunt seu negauerint illa principia, probatur quia vnum ex principiis in hac scientia notissimis est, quod principium, & id quod principiat, sint distinctæ res: sed illi duo, asserentes vnicum principium rerum naturalium non ponebant distinctionem inter principium & principiatum; si enim principiatum non includit aliquid præter vnicum principium, non distinguitur ab ipso, & si includit aliquid vltius, necessario habebit plura principia. Deinde euidens est res naturales moueri, destrui, & generari: sed si haberetur vnum tantum principium, quod esset immobile, hoc esset falsum. Nihilominus valde verisimile est prædictos Philosophos locutos de principio primo effectiuo rerum omnium, scilicet Deo; quod si ita est, rectissime senserunt quantum ad vnitatem & immobilitatem eius, & *Melissus* etiam optimè concessit infinitatem ipsius, quam perperam negavit *Parmenides*.

13. Alij Philosophi admittentes motū in rebus naturalibus, aliter de principiis philosophari sunt: & ex illis quidam statuerunt vnum principium, in quo tamē assignandum dissentiebant, quibusdam assignantibus ignem, alijs aquam, alijs aërem, nonnullis vero terram. Præter hoc autem vnum principium requirebant contrarietate raritatis & densitatis, ratione cuius ex illo vno principio res generarentur. Quidā alij Philosophi plura esse principia & illa contraria arbitratī sunt, quæ principia secundum ipsos continebantur in infinito quodam receptaculo, quod vocabant *Chaos*. Ex his *Empedocles* pro principiis ponebat quatuor elementa contenta in illo *Chao*, & ipsū *Chaos* vt ea continens dicebat esse primum principium. *Anaximander* vero & *Anaxagoras* non putarunt ipsam *Chaos* vt continēs illa plura, fuisse principia, sed potius ipsamet plura in eo contenta, quæ etiam non existimaerunt fuisse finita, sed infinitas particulas rerum omnium, vt carnis, ossis, sanguinis, &c. adeo paruas & indiuisibiles, vt propterea vocarentur atomi. Sed his Philosophorum omīssis insomniis, vt veram statuamus sententiam.

Aduertendum est posse hanc quæstionem moueri & de principiis, quæ necessario prærequiruntur ad constitutionem essentialē physicā corporis naturalis cuiuscumque, quod fieri potest à causis secundis ex præsupposito subiecto, & etiam de principiis intrinsecis & necessariis, quæ prærequiruntur ad hoc vt fiat de nouo huiusmodi corpus, seu quæ requiruntur ad hoc vt generetur; quæ principia vocantur principia corporis naturalis in fieri, sicut prima illa principia vocantur principia ipsius in facto esse. Est autem hæc differentia inter vtramque considerationem principiorum, quod possit quis intelligere ex quibus principiis constet res essentialiter, quamuis non cognosceret, an fieri posset vllō modo ex præsupposito subiecto: nam quamuis aliquis cognosceret, quod homo constaret anima, & corpore, posset dubitare an haberet esse à se necessario; vnde plura requiruntur principia ad hoc quod corpus fiat, quam ad constitutionem essentialē intrinsecā eius.

CONCLUSIO I.

12. Principia, ex quibus intrinsecè, & in facto esse fiunt corpora naturalia, tanquam ex partibus physicis, sunt duo tantum, materia scilicet, & forma. Hæc est communis, & probatur, quia nullum aliud principium potest assignari, ex quo intrinsecè fieret.

Dices primò: constat intrinsecè & essentialiter ex genere & differentia, quæ non sunt nec materia, nec forma: ergo constat aliis principiis quam materia & forma.

Respondeo distinguendo consequens: aliis principiis metaphysicis, concedo: physicis, nego consequentiam:

agimus autem modo de principiis physicis.

Dices secundò: constat intrinsecè vnione, quæ non est materia, aut forma, & est quid physicum, cum sit realiter distincta & à materia & forma, & ab ipso corpore: ergo constat ex aliis principiis physicis quàm materia & forma.

Respondeo, negando consequentiam; quia quamuis includat vnionem, tamen non constituitur ex ipsa, neque tanquam ex parte, neque tanquam ex termino à quo, & propterea improprie diceretur fieri ex ipsa; sed potius dicendum est quod fiat medianre ipsa, aut per ipsam tanquam per conditionem necessario requisitam, vt fiat.

CONCLUSIO II.

13. Principia corporis naturalis in fieri, ex quibus generatio seu productio eius fit, seu quæ essentialiter requiruntur ad hoc quod fiat ex præsupposito subiecto, sunt tria, scilicet, materia, forma, priuatio. Hæc est etiam communis.

Probat primò, quia non potest aliud principium assignari, & hæc sunt principia: ergo.

Probat secundò, quia illa sola sunt principia eius in fieri, quæ in definitione generationis ponuntur, & sine quibus nequit generatio intelligi per modū mutationis: sed illa tria tantum in definitione generationis ponuntur, & sine illis nequit intelligi: ergo illa tria tantum sunt principia corporis naturalis in fieri. *Probat* antecedens, quia generatio definitur transitus subiecti de non esse talis substantiæ ad esse talis, v.g. generatio ignis ex ligno est transitus materiæ ligni à priuatione formæ ignis ad formam ignis: sed in illa definitione nihil aliud exprimitur præter priuationem, quæ intelligitur per non esse substantiæ; & materiam, quæ intelligitur per subiectum; & formam, quæ intelligitur per substantiam, quia est ratio formalis physicè constituens substantiam.

Confirmatur, quia eo ipso, quo intelligitur aliquod subiectum mutari à non esse formæ substantialis ad esse eius, intelligitur generatio fieri, & nisi id intelligatur, non intelligitur generatio: ergo illa tria sunt tantum principia, ex quibus fit, seu generatur corpus naturale.

14. *Obijci* primò: generatio habet pro termino ad quem formali formam, nec præsupponit ipsam, quandoquidem per generationem fiat forma, saltem vt quo; ergo generatio non potest habere formam pro principio.

Confirmatur, quia si potest habere formam pro principio, ex eo quod sit terminus formalis ad quem eius, habebit etiam pro principio totum corpus, quod est terminus ad quem totalis, & ad quod eius, & sic dabuntur plura principia quam tria.

Respondeo, quamuis communiter dici soleat quod principia corporis naturalis in fieri, seu principia, ex quibus generatur corpus naturale, sunt principia, ex quibus fit ipsa generatio, mihi tamen videri, quod reuera non sint proprie loquēdo principia ipsius generationis, quia reuera nō potest proprie dici quod relatio illa fiat ex termino suo, & quia vt dicitur in obiectione, terminus ad quem non præsupponitur ipsi; sed solum subiectū, & priuatio. Vnde concedo consequentiam obiectionis, & confirmationis: nec id facit contra conclusionem, quia non asserit illa tria principia esse principia ipsiusmet generationis: sed esse principia prærequisita ad hoc vt generetur corpus, quia ad hoc vt generetur corpus in aliquo instanti, debet haberi, & partes intrinsecæ ipsius, & præterea debent præesse in vna parte ex ipsis antecederet priuatio formæ, aliās fuisset corpus ante, & sic non fieret in illo instanti; & credo in re hoc velle alios authores.

15. *Obijci* secundò: Ex nihilo nihil fit: ergo ex priuatione, quæ nihil est, nihil potest fieri, & consequenter non erit principium.

Confirmatur, quia vnum contrarium non potest fieri ex altero: sed priuatio est contraria formæ, & consequenter rei constitutæ per formam: ergo talis res nequit fieri ex priuatione.

Respondeo, distinguendo antecedens; tanquam ex subiecto aut causa intrinsecè componente, concedo; tanquā ex termino à quo, nego antecedens; & similiter distinguo primum.

Tria sunt principia corporis naturalis in fieri.

Duo sunt principia corporis naturalis in facto esse.

primum consequens, & nego secundam consequentiam. Et hoc eodem modo respondendum est ad confirmationem distinguendo maiorem, & consequens eius: tanquam ex termino à quo, nego; tanquam ex parte componente, concedo.

16. *Obijciat tertio*, Generatio dependet essentialiter à Deo, & à causa efficiente, & finali, & ab actione, & à forma etiam præexistente in materia, & à priuatione formæ præexistentis, & ab vnione; ut enim sit generatio, omnia hæc intercedere debent: ergo plura sunt principia generationis.

Respondeo non dependere ex his, tanquam ex principiis, ex quibus fit, nam non dicitur fieri ex Deo aut ex causa efficiente, sed potius à Deo, & à causa efficiente; nec dicitur fieri ex fine, actione, aut ex vnione, sed propter finem, & per actionem, & vnionem, seu mediante actione, & vnione (adde vnionem esse realiter ipsammet generationem, ut alias videbimus, & propterea non posse generationem esse ex vnione, cum idem non fiat ex seipso.) Quantum autem ad formam substantialem præexistentem, & ad priuationem eius, quæ ponitur per generationem,

Respondeo esse per accidens ad generationem, quod præcesserit talis forma, aut quod ponatur de nouo priuatio eius: nam si per impossibile vel possibile, non præesset aliqua alia forma in materia, sed poneretur in ea forma noua, cuius habuit ante priuationem, saluaretur essentialis ratio generationis, quæ etiam saluaretur, quamuis non tolleretur forma præexistens, modò poneretur cum ea simul alia forma; unde manifestum est quod generatio non fiat nisi per accidens ex forma præexistente, & multo minus sit ex priuatione eius, tanquam ex termino à quo, quandoquidem priuatio formæ præexistentis maneat cum forma producta, quod est contra rationem termini à quo.

An eorum
niant vnio-
ue in
ratione
principij
tria prin-
cipia.

17. *Querens*, an hæc tria principia conueniant vnioce in ratione principij, seu an detur ratio aliqua principij ut sic, quæ sit communis vnioce his tribus principiis.

Fuentes hic q. 3. art. 3. negat hæc principia conuenire in aliqua ratione vnioce, sed asserit ea conuenire in aliqua vna ratione, quæ vnioce de ipsis prædicetur. *Mastrius disp. 1. q. 1.* absolute asserit dari his principiis aliquam rationem communem vnioce, quæ etiam explicatur in prædicta definitione principiorum assignata à Philosopho.

Communior sententia negat hæc principia conuenire vnioce ratione vlla principij ut sic, sed solum analogice, & hæc sententia mihi magis placet, & probatur, quia ex his principiis vnum est non ens, nempe priuatio, & aliud est ens reale, nempe materia: sed non datur aliquis conceptus vnioce aut vnioce communis enti reali, & non enti reali: ergo hæc principia non conueniunt inter se in aliqua ratione vnioce principij ut sic, aut etiã vnioce de ipsis prædicabili. Probatur minor, quia aut illa ratio esset ens, & tum sequeretur quod non ens esset ens: aut esset non ens, & tum sequeretur quod ens esset non ens; quod est absurdum: nec huius rationis ita propositæ vim tollit *Mastrius* supra, ut legenti patet.

18. *Confirmatur*, quia non potest concipi aut assignari aliqua vna ratio, quæ ipsis competat vnioce, aut quæ sit ipsis vnioce: ergo non est asserenda talis ratio.

Confirmatur secundo, quia in quacumque ratione assignabili debet poni ly *aliquid*, aut æquiualens: sed ly *aliquid*, ut dicitur de ente, & non ente, non significat aliquam vniam rationem: ergo non est assignabilis aliqua vna ratio principij, quæ de his principiis prædicari possit vnioce, aut tanquam vnioce prædicatum. Quod si etiam daretur ipsis aliqua ratio communis, probatur contra *Mastrium*, quod illa ratio non exprimitur in definitione principiorum, quia in illa expresse ponuntur duæ rationes diuersæ principiorum, nimirum ratio termini & partis intrinsecæ, quæ duæ rationes non dicuntur de quolibet principio nisi diiunctiue, sic scilicet ut verum sit quod quodlibet principij sit, aut terminus à quo, aut pars intrinseca corporis principij: ergo non exprimitur

aliqua vna ratio determinata principij ut sic in illa definitione.

19. *Dices* pro *Fuente*, hæc omnia bene probare, quod non detur his tribus principiis aliqua ratio vnioce, aut aliquod prædicatum vnioce commune, nõ vero probare quin detur illis aliqua ratio vnioce prædicabilis.

Contra, quia licet secundum *Scotum* 1. disp. 8. q. 3. n. 14. ab ipso *Fuente* citatum, non omne prædicatum vnioce vnioce prædicetur in rigore logico, quia album respectu huius, & illius parietis albi est prædicatum vnioce, sed tamen non vnioce prædicatur, quandoquidem non sit de essentia ipsorum, quod requiritur in rigore logico secundum *Scotum*, ut aliquid vnioce prædicetur, tamen nullum prædicatum vnioce prædicatur, quod non sit prædicatum vnioce, quia ut vnioce prædicetur, debet esse ratio vna competens pluribus, & hoc sufficit, ut dicatur prædicatum vnioce, quamuis non sufficiat ut diceretur vnioce, nisi ulterius etiam esset de essentia istorum plurium: quod totum tam clare patet ex *Scoto* in prædicto loco, ut mirum sit oppositum venisse in mentem *Fuentis*.

Adde ad hæc, quod ratio principij conueniens priuationi conueniat ipsi intrinsece, & quidem essentialiter, si capiatur fundamentaliter: & similiter ratio principij conueniens materiæ & formæ conuenit ipsis intrinsece, & essentialiter; unde si conueniant illæ rationes in aliqua vna ratione abstracta ab illis, profecto conuenient in ratione vnioce & vnioce de ipsis prædicabili.

20. *Obijciat* pro *Fuente*: ratio principij seu significatum per hoc nomen *principium* æque denominat hæc tria principia: ergo dicitur de illis vnioce.

Respondeo negando suppositum antecedentis, nempe quod detur aliqua vna determinata ratio principij abstracta ab his tribus principiis, quod probare deberet hic author, ut aliquid concluderet.

Obijciat secundo pro *Mastrio* ex *Scoto* 1. d. 3. q. 2. quando intellectus est certus de aliquo conceptu, & incertus de aliis, ille conceptus, de quo est certus, debet esse conceptus communis vnioce illis aliis: sed intellectus potest esse certus de priuatione quod sit principium corporis naturalis, & incertus an sit principium per modum termini ad quem: ergo datur conceptus principij ut sic communis vnioce tribus principiis.

Respondeo distinguendo maiorem: quando ille conceptus vnus, de quo est certus, est conceptus determinatus, concedo: quando non, nego maiorem, & instantiæ patent ex dictis in Logica de vltimis differentiis ac indiuiduis; ex quibus etiam patet ad reliquas obiectiones, quæ contra hanc resolutionem opponi possent.

21. *Querens secundo*, an hæc tria principia sint contraria. *An principia sunt contraria.*

Respondeo breuiter esse contraria in modo principij, quatenus habent diuersissimū modū causandi. *Deinde* sunt etiam contraria in entitate, quatenus habent dissimiles entitates: non sunt autem contraria eo modo quod duæ formæ positivæ expellentes se inuicem ab eodem subiecto dicuntur contrariæ, quia materia non habet subiectum, nec expellitur à forma, priuatio autem non est forma positivæ. Priuatio vero & forma sunt contraria contrarietate large sumpta, propterea scilicet coincidunt cum oppositione, quia sine dubio opponuntur priuatione, cum non compatiantur in eodem subiecto, nempe in eadem materia, & vnum ex ipsis sit priuatio alterius. Nec hæc res indiget maiori examine, quamuis ab aliquibus fuisse tractetur, nimis anxie sollicitis de difficultatibus nominalibus, quæ tamen ex vocum significatione cuilibet patent.

DISPUTATIO III.

De materia prima.

Quandoquidem ex tribus principiis concurrentibus ad generationem corporum naturalium materia prima sit primum, & commune subiectum aliorum duorum principiorum, priuationis scilicet